

**Literarische Übersetzungsklausur
für Studierende der Vergleichenden Literaturwissenschaft**

LATEIN

Nach dem Sieg über Philipp V. von Makedonien lässt der römische Imperator T. Quinctius Flamininus auf den Isthmischen Spielen die Freiheit Griechenlands verkünden (Livius).

- (1) Ad spectaculum consederant, et praeco cum tubicine, ut mos est, in mediam aream, unde sollemni carmine ludicrum indici solet, processit et tuba silentio facto ita pronuntiat: 'Senatus Romanus et T. Quinctius imperator Philippo rege Macedonibusque deuictis liberos, immunes, suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque omnes et insulam Euboeam et Magnetas, Thessalos, Perrhaebos, Achaeos Phthiotas'.
- (2) Percensuerat omnes gentes, quae sub dicione Philippi regis fuerant. Audita uoce praeconis maius gaudium fuit quam quod uniuersum homines acciperent: uix satis credere se quisque audisse et alii alios intueri, mirabundi uelut ad somni uanam speciem; quod ad quemque pertinebat, suarum aurium fidei minimum credentes, proximos interrogabant.
- (3) Reuocatus praeco, cum unusquisque non audire modo sed uidere libertatis suae nuntium aueret, iterum pronuntiauit eadem.
- (4) Tum ab certo iam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus totiensque repetitus, ut facile appareret nihil omnium bonorum multitudini gratius quam libertatem esse.
- (5) Ludicrum deinde ita raptim peractum est, ut nullius nec animi nec oculi spectaculo intenti essent: adeo unum gaudium praeoccupauerat omnium aliarum sensum uoluptatum.

165 Wö

(1) ludicrum = ludus: Festspiele; Corinthios ... Acheos Phthiotas: griechische Völker.

(2) credere, intueri: dramatische Infinitive; mirabundi = mirantes

Wintersemester 2012/2013

**Literarische Übersetzungsklausur
für Studierende der Vergleichenden Literaturwissenschaft**

LATEIN

Bitte übersetzen Sie folgenden Abschnitt aus Augustinus, Confessiones III 4, 7-8 (mit Kürzungen):

Das Bekehrungserlebnis des Heiligen Augustinus:

Perveneram in librum cuiusdam Ciceronis. liber ille exhortationem continet ad philosophiam et vocatur 'Hortensius'.

Ille vero liber mutavit affectum meum, et vota ac desideria mea fecit alia.

Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere coeperam, ut ad te redirem.

Quomodo ardebam, deus meus, revolare a terrenis ad te, et nesciebam quid ageres mecum!

Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen Graecum habet philosophiam, quo me accendebant illae litterae.

Sunt qui seducant per philosophiam magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos, et prope omnes, qui tales erant, notantur in eo libro, et manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui: 'Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam'

Sommersemester 2012

**Literarische Übersetzungsklausur
für Studierende der Vergleichenden Literaturwissenschaft**

LATEIN

Bitte übersetzen Sie folgenden Abschnitt aus Cicero, Tusculanae disputationes V 114:

In seiner Schrift „Tusculanae disputationes“ legt Cicero an zwei Beispielen dar, dass Blindheit dem Glück eines Weisen nicht im Wege stehe.

Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat, at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat, et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat.

Atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum arbitrabatur, et cum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret.

Traditum est etiam Homerum caecum fuisse; at eius picturam, non poesin videmus: quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur?

eius: gemeint ist „sein Werk“ - poesin: griechisch gebildeter Akkusativ

HS 2011/2012

Über die Würde des Dichters und der Dichtung

Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum ad Achillis tumulum astitisset, 'o fortunate' inquit 'adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!' et vere. Nam, nisi illi ars illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset.

Sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa atque solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur?

Übersetzungsklausur für Studierende der Komparatistik

LATEIN

Bitte übersetzen Sie folgenden Auszug:

Scipionem, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna; quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res, quae languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret; sed, si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam et a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. Sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Nam nostrum otium negotii inopia, non requiescendi studio constitutum est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis quid est quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus?

Sommersemester 2010

Übersetzungsklausur für Studierende der Komparatistik

LATEIN

Bitte übersetzen Sie folgenden Auszug:

Defendi rem publicam adulescens, non deseram senex. Contempsit Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest. Etenim, si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam – hoc mihi maius a dis immortalibus dari nihil potest -, alterum, ut ita cuique eveniat, ut de re publica quisque mereatur.

Nihil est detestabilius dedecore, nihil foedius servitute. Ad decus et ad libertatem nati sumus; aut haec teneamus aut cum dignitate moriamur.

Z.2: tuos: Cicero spricht M. Antonius an.

Sommersemester 2009

Übersetzungsklausur für Komparatisten

LATEIN

Der Redner und seine Wirkung nach Cicero

Mihi nihil praestabilius videtur quam posse dicendo tenere hominum coetus,
mentes adlicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere.

Haec una res in omni libero populo maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus
praecipue semper floruit. Quid enim est aut tam admirabile quam

ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id,
quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit?

5

Aut quid est tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis
gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut quid est tam potens

tamque magnificentum, quam populi motus, iudicum religiones (hier: Gewissenhaftigkeit),
senatus gravitatem unius oratione converti?

10

Quam ob rem pergite, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis
honori et amicis utilitati et rei publicae emolumento esse possitis.

Wintersemester 2005/06

Übersetzungsklausur für Komparatisten

LATEIN

Bitte übersetzen Sie den folgenden Auszug aus *de vita beata* von Seneca:

(1)

vivere, Gallio frater, omnes beate volunt, sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant; adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut eo quisque ab ea longius recedat, quo ad illam concitatus fertur, si via lapsus est; quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris intervalli causa fit. proponendum est itaque primum, quid sit, quod adpetamus; tunc circumspiciendum, qua contendere illo celerrime possimus intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum cotidie profligetur quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis inpellit.

(2)

quam diu quidem passim vagamur non ducem secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteretur vita inter errores, breves etiam, si dies noctesque bonae menti laboremus.

Sommersemester 2004

Übersetzungsklausur für Komparatisten

LATEIN

Im X. Buch seiner *Institutio oratoria* (ca. 95 n. Chr.) vergleicht Quintilian die Wirkungsqualitäten mündlicher und schriftlicher Rede bzw. auf der Seite des Rezipienten, die wechselseitigen Vorzüge des Zuhörens und der Lektüre. Bitte übersetzen Sie:

Alia vero audientis, alia legentis magis adiuvant. excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. vivunt omnia enim et moventur, excipimusque nova illa velut nascentia cum favore ac sollicitudine. nec fortuna modo iudicii, sed etiam ipsorum qui orant periculo adficimur. [...] in lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor aut ille laudantium clamor extorquet. pudet enim dissentire, et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim et vitiosa pluribus placent, et a conrogatis¹ laudantur etiam quae non placent. sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava iudicia non referant. lectio libera est nec {ut} actionis impetus transcurrit, sed repetere saepius licet, sive dubites sive memoriae penitus adfigere velis. repetamus autem et tractemus et, ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta memoriae imitationique tradatur.

¹ *a conrogatis*: etwa "von den bestellten Beifallklatschern, den Claqueuren"